Boethius, Anicius Manlius Severinus; Pius <Papst, II.> / Enea Silvio Piccolomini; Plutarchus; Bruni, Leonardo; Bonjohannes <de Messina>: Sammelhandschrift

Heidelberg, 15. Jh. Seite 150v

## De balneo badensi

Si vales ego quoque valeo. Per quendam contribulem meum
ad te scripsi ex Constantia x kl. marcias ut opinor epi-
stolam quam si recepisti profecto ad risum te debuit provocare.
Erat enim longiuscula iocis referta et salibus dicebam multa de
literis ebraicis quibus operam dabam plura iocabar in doctore
ipsum ut ceteri eorum est qui ex iudeis christiani efficiuntur
levem insulsum atque inconstantem literas vero et doctrinam ut rude
incultam atque agrestem facetiis quibusdam perstringebam vereor
suspicor eam epistolam et iterum alteram quam leonardo dabam
nobis redditas non esse. Nam me diffidens que tua est
diligentia in officio literarum conscripsisses postmodum aliquid
et vel saltem meam congratulatus esses hanc novam nove
doctrine disciplinam ad quam perdiscendam ne sepius es horta-
tus quam et si viris nullius esse conspicio ad sapientie facultatem
confert tamen aliquid ad nostra studia humanitatis ut ex hoc maxime
per morem Jheronimi in transferendo cognovi habes vero
literas ex hiis balneis ad te scripsi ad que cum me contulissem cu-
rande manus causa rem dignam putavi ut eorum
situm atque amenitatem simul et mores harum gentium tibi de-
scriberem et consuetudinem balneandi. Multa dicuntur ab an-
tiquis rerum scriptoribus de balneis puteolanis ad que universus
fere populus Romanus causa voluptatis confluebat. Sed neque
quam arbitror illa ad harum iocunditatem accedere potuisse
et haut cum hiis nostris fuisse comparanda. Nam voluptatem
puteolanam magis afferebat locorum amenitas et villarum
magnificentia quam festivitas hominum aut balneorum. hec
vero loca cum nulla admodum pro parte prestent animi relaxa-
tione reliqua omnia in mensam tribuunt iocunditate ut per-
sepe existimem et venerem ex cypro et quicquid est ubique deli-
ciarum ad hec balnea commigrasse. Ita diligunt illius institu-
ta servant ita ad unguem eius mores ac lasciviam repre-
sentant. Et licet non legerint eliogabali contionem cum ipsa natura satis
docti satis instituti esse videantur. Sed cum balnea hec tibi pro-
describere velim pretermittere viam qua huc itur ex Constantia
ut conicere possis qua parte gallie sint constituta. Prima
die navicula per renum venimus ad opidum Scafusam milibus
passuum quatuor et viginti. Cum deinde propter ingentem fluminis
descensum per abruptos montes et confragosa saxa iter
esset pedibus conficiendum supra Renum nomine Kesarsol hore